

QUAESTIONES CRITICAE DE HESIODI THEOGONIA. ¹⁾

Cum ea, quae nostrae aetatis critici, praesertim Germani, de genuina Theogoniae forma disputassent, nulla opinione praëiudicata ductus diligentissime perlegerem, permulta, quae ad unum alterumve locum recte interpretandum haud minimi essent momenti, a viris doctis praetermissa esse facile intellexi. Hoc est, cur operae pretium me facturum putem, si versus Hesiodi nonnullos a criticis neglegentius tractatos partim a suspicionibus vindicare, partim novis argumentis interpolatos evincere tentaverim. In quo id maxime agendum esse arbitror, ut diversis philologorum sententiis accuratissime inter se comparatis, quid verisimile sit quaeque iis, quae de locis in suspensionem vocatis adhuc disputata aliqua ex parte manca videantur, addi possint, per se eluceat.

Quoniam autem eorum sententiae, qui genuinam Theogoniae formam divinando restituere conati totum poëma in stropharum formas redegerunt, iam pridem abiectae sunt, nullam video subesse causam, cur rebus refutatione minime dignis tempus conteram. Nam contra Soetbeerium,²⁾ qui e 1022 Theogoniae versibus 72 tantum pentades, ut procul dubio ab Hesiodo profectas retinuit, et contra Gruppium,³⁾ qui eo temeritatis provectus est, ut nil nisi 37 triades genuinas existimaret, iam inde a Schoemanno desitum est disputari. Neque Hermann,⁴⁾ in ceteris felicissime audax, cum

¹⁾ Libellus ab amplissimo philosophorum ordine Budapestinensi praemio ornatus.

²⁾ Versuch, die Urform der hesiodischen Theogonie nachzuweisen. Berlin, 1837.

³⁾ Über die Theogonie des Hesiod, ihr Verderbniss und ihre ursprüngliche Gestalt. Berlin, 1841.

⁴⁾ De Hesiodi Theogoniae forma antiquissima. Lipsiae, 1844.

e Theogonia codicibus tradita, quidquid vellet, eliminando 156 elegantissimas pentades effingeret, quidquam praeter ingenii sagacitatem viris doctis probare potuit. Quid denique de Koechlyo ¹⁾ dicam, qui de duabus Theogoniis, quarum altera e triadibus, altera e pentadibus composita esset, ab inepto quodam poëta concinnatis somniavit? Placeant haec illis, qui proprium artis criticae munus in temere divinando ponunt: nos certe in testimoniis veterum pervestigandis diligentiores, in coniiciendo modestiores esse malumus.

Sed ne illa quidem probanda nobis videntur, quae Schoemann, de Hesiodo interpretando optime meritis, *De compositione Theogoniae* (Greifswald 1854) exposuit. Negavit enim quidquam antiqui in Theogonia inveniri posse atque totum poëma, ut proemium esset Hesiodi de heroinis carminis, Pisistrati aetate fictum putavit. Omnia tamen, quibus sententiam suam confirmare tentavit, refutantur a grammaticis recentioribus, dialecti Hesiodae peritis, quos mox commemorabo. Nihilominus incerta sunt, quae Gerhard ²⁾ de *διασκευασταις* Theogoniam in usum Pisistrati recentibus disputavit, praesertim cum ea, quae de Pisistrato epicorum poëmatum collectore tradita sint, a criticis non sine iure in dubium vocari videantur. ³⁾ Petersen ⁴⁾ denique, cum mythis in auxilium vocatis diversarum Theogoniae partium aetates constituere conaretur, omnia, quae de historia mythologiae Graecae scimus, incerta esse oblitus est.

At longe probabiliora sunt, quae recentiores philologi de Hesiodi Theogonia disseruere. E quibus primo loco commemoranda est editio Koechlyi (Hesiodae quae feruntur carmina. Lipsiae 1870) apparatu critico uberrimo ornata, quae cum in constituenda lectione tum in genuinis a falsis discernendis plurimum praebet auxiliium. Nihilominus laudanda est editio scholiorum a Flachio curata, ⁵⁾ in aetate atque auctoritate commentatorum constituenda prae cete-

¹⁾ Dissertatio de diversis Theogoniae Hesiodae partibus. Turici, 1860.

²⁾ Über die hesiodische Theogonie. Berlin, 1856.

³⁾ Doctissime de hac re disputarunt: *Ludwich*: Aristarchi Homerische Textkritik; *Wilamowitz-Möllendorff*: Homerische Untersuchungen; *Joannes Flach*: Pisistratos und seine literarische Thätigkeit. Tübingen, 1885.

⁴⁾ Ursprung und Alter der hesiodischen Theogonie. Hamburg, 1862.

⁵⁾ Glossen und Scholien zur hesiodischen Theogonie mit Prolegomena. Leipzig, 1876.

ris excellens. Quod ad artem criticam recte exercendam quam magni sit momenti, non est, quod dicam.

Idem Flach de dialectologia Hesioidea optime meruit, cum Paleyū secutus digamma in textu Hesioideo restituere conaretur atque totam quaestionem in praefatione ad editionem Theogoniae scripta et in dissertatione de digammate Hesioideo diligentissime pertractaret. ¹⁾ Quae disputavit, Clemm ²⁾ et Devantier ³⁾ partim correxerunt partim novis additamentis auxerunt. Omnium tamen, qui in dialecto Hesioidea pervestiganda studium collocarunt, procul dubio sagacissimus est Rzach, cui totam de dialecto quaestionem accuratissime pertractatam debemus. ⁴⁾

Quae autem viri docti hoc loco enumerati de digammate disseruerunt, Hesiodum in digammate conservando nil Homero cedere satis demonstrant: ex quo Theogoniam maxima ex parte antiquam esse Schoemannumque, cum totum poëma Pisistrati aetate fictum putaret, vehementer errasse facile colligas. Quoniamque ex iis, quae Rzach de dialecto poëtae docet, nil, quod ad formas grammaticas pertinet, inter Theogoniam et Opera interesse sponte sequitur, nil obstat, quominus ambo poëmata eadem aetate ficta putemus. Nec multum fallimur, si antiquitatis memoriam sequentes Theogoniam et Opera ab eodem poëta profecta esse suspicamur.

Iam, si Theogoniam maxima ex parte antiquam putamus, restat, ut omnia, quae additamenta recentiora esse videantur, e textu removeamus. In quo cum plurimum editores peccent, qui minima re ad reprehendendum contenti, quidquid minus concinne dictum videtur, eliminant, nonnullos locos denuo pertractare statui. Quod si mihi iis, quae de Theogonia adhuc disputata sunt, aliquid novi addere virorumque doctorum approbationem aliqua ex parte adipisci contigerit, sublimi feriam sidera vertice.

Editiones, quae mihi in hoc libello scribendo praesto fuerunt, quasque simpliciter editoris nomine notavi, sunt haec:

Welcker: Die hesiodische Theogonie. Elberfeld 1865.

¹⁾ Vide: Die hesiodische Theogonie mit Prolegomena. Berlin, 1873; Das dialektische Digamma des Hesiodos. Berlin, 1876.

²⁾ Quaestionum Hesioidearum particula prima. Gissæ, 1877.

³⁾ Die Spuren des anlautenden Digamma bei Hesiod. Jever, 1878.

⁴⁾ Vide: Hesiodische Untersuchungen. Prag, 1875; Der Dialekt des Hesiodos. Leipzig, 1876. Obsoletum est Meyeri Isleri opusculum: De dialecto librorum Hesiodi, 1830.

Schoemann: Die hesiodische Theogonie angelegt und beurtheilt. Berlin 1868.

Koehly: Hesioidea quae feruntur carmina. Lipsiae 1870.

Paley: The epics of Hesiod. London 1861.

Flach: Die hesiodische Theogonie mit Prolegomena. Berlin 1873.

Flach: Die hesiodischen Gedichte. Berlin 1874.

Goettling: Hesiodi carmina. Recensuit et commentariis instruxit. Editio tertia, quam curavit *Ioannes Flach*. Lipsiae 1878. (Versus, de quibus in hoc libello disputamus, in hac editione omnes uncis seclusi sunt.)

Rzach: Hesiodi quae feruntur omnia. Praegae 1884.

Haec fere habui, quae de libelli ratione deque subsidiis, quibus usus sum, exponerem. Alios virorum doctorum libros, quos inspicere necessarium putavi, suo quemque loco proferam. Quibus quam potui brevissime praemissis restat, ut iam de singulis locis in suspicionem vocatis dicendum esse videatur.

I. De locis quibusdam spuriiis.

Vs. 64—67.

Πὰρ δ' ἀοτῆς Χάριτες τε καὶ Ἴμερος οἰκί' ἔχουσιν
ἐν θαλίῃς · ἐρατὴν δὲ διὰ στόματ' ὄσσαν ἰεῖσαι
μέλπονται πάντων τε νόμους καὶ ἤθεα κεδνὰ
ἀθανάτων κλείουσιν, ἐπήρατον ὄσσαν ἰεῖσαι.

Versus eiciunt: Wolf (63—67), Flach, Schoemann (65—67), Goettling, Paley, Rzach — defendit: Welcker. *)

Si versus in suspicionem vocatos cum praecedentibus:

60 ἦ δ' ἔτεκ' ἐννέα κοῦρας ὀμόφρονας, ἧσιν αἰοιδῆ
μέμβλεται, ἐν στήθεσσι ἀκηδέα θυμόν ἐχούσας,
τυτθὸν ἀπ' ἀκροτάτης κορυφῆς νιφόντος Ὀλύμπου,
63 ἔνθα σφιν λιπαροὶ τε χοροὶ καὶ δῶματα καλά

et cum sequente:

68 αἶ τὸτ' ἴσαν πρὸς Ὀλυμπὸν ἀγαλλόμεναι ὅτι καλῆ

comparamus, contextum perturbatum esse facile animadvertimus. Cum enim τότε versu 68. nil aliud, nisi ortum Musarum significare

*) Hoc loco editores commemoro, qui locum aut uncis secluserunt aut defendere conati sunt.

possit, perspicuitas loquendi postulat, ut versum 61. proxime sequatur; attamen hoc τότε a versu 61. sex hexametri secernunt, qui hoc loco ineptissime domicilium Musarum describunt. Nam, cur poëta hic de Musarum domicilio mentionem fecerit, priusquam deae in Olympum ascenderint, ut in societatem superiorum assumerentur (de quo versu 68 legimus), coniectura assequi non possum. Suspicionem autem auget loquendi genus. Ab aoristo enim narrationis poëta repente transit ad praesens descriptionis, postea vero versus 68 iterum aoristo narrationem continuat. Deinde versu 65: ἐρατὴν δὲ διὰ στόματ' ὄσσαν ἰεῖσαι et paulo post ἐπίκρατον ὄσσαν ἰεῖσαι tautologiam efficiunt molestissimam, postquam versus 10 et 43. in eadem verba (ὄσσαν ἰεῖσαι) exierunt.

Ne id quidem minimi est momenti, quod commentator ad 64 dicit: φασὶν ὅτι ἔστιν ἐν Ἑλικῶνι καὶ Χαρίτων ἱερὸν καὶ Ἰμέρον καὶ Μουσῶν (Flach: Glossen und Scholien p. 214). Praeterea, cum etiam ex *Orchomeno* Muellerei (p. 177) sciamus veteres domicilium Gratiarum et Himeri in Helicone posuisse, omnes mythologiae Graecae peritos non sine causa offendit id, quod hoc loco Helicon, patria Gratiarum et Himeri, confunditur cum Olympo, patria Musarum Olympiarum, de quibus poëta loquitur.

Legamus nunc annotationem ad versum 62: ὅτι ὁ περὶ βατὸν ἔστι τὰς ἐν Πιερίῃ τέκε τρεῖς πατρὶ μιγείσα ἀπὸ τοῦ Ὀλύμπου. ἐγγὺς γὰρ ἡ Πιερία ἀπὸ τοῦ Ὀλύμπου. Hactenus intelligimus verba scholiastae, qui versum 62 una cum 60 et 61 interpretari videtur, sed clausula: λείπει τὸ ὄσση, τῇ Πιερίᾳ δηλονότι intellegi nullo modo potest, nisi versus 62 post 53 ponatur:

53 τὰς ἐν Πιερίῃ Κρονίδη τέκε πατρὶ μιγείσα
62 τρεῖς δὲ (ὄσση) ἀπ' ἀκροτάτης κορυφῆς νιφέντος Ὀλύμπου.

Ex quo facile colliges, annotationem a quodam vetere grammatico esse profectam, qui versum 62 post 53 legit. Quod autem commentator noster, qui textum iam interpolatione inquinatum ante oculos habuit, annotationem ad textum parum esse aptam non sensit atque eam scholiis suis immiscuit, nemini mirum videtur, qui novit stultitiam Byzantinorum, opera veterum nullo iudicio adhibito compilantium.

Causa fuit interpolationis tam molestae versus 62 casu aliquo post 61 delapsus. Verba enim:

τρεῖς δὲ ἀπ' ἀκροτάτης κορυφῆς νιφέντος Ὀλύμπου

secum traxerunt versum subsequentem, qui aliter huc irrepere non potuit:

ἔνθα σφιν λιπαροί τε χοροὶ καὶ δώματα καλά.

Deinde aliquis, qui Gratias et Himerum in Helicone prope Musas habitasse scivit, subiecit tres versus:

πάρ δ' αὐτῆς Χάριτές τε καὶ Ἴμπερος οἰκί' ἔχουσιν
ἐν θαλίῃς · ἐρατὴν δὲ διὰ στόματ' ὄσσαν ἰεῖσαι
μέλπονται πάντων τε νόμους καὶ ἦθεα κεδνά,

tum alius, qui verbum πάντων supplere voluit, addidit:

ἀθανάτων κλείουσιν, ἐπήρατον ὄσσαν ἰεῖσαι,

ex quo orta est tautologia tam molesta, ut verisimile videatur eam a poëta admodum recenti atque inepto esse profectam.

Quae cum ita sint, nos satius ducimus versum 62 post 53 ponere atque non solum versus 64—67, sed etiam 63 eiicere.

Vs. 218—219.

Κλωθῶ τε Λάχεσιν τε καὶ Ἄτροπον, αἴτε βροτοῖσι
γενομένοισι διδοῦσιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε.

Versus eiiciunt: Goettling (217—222), Paley, Schoemann, Koechly, Flach, Rzach — defendit: Welcker.

Iam pridem criticos mythologiae Graecae peritos offendit, quod in Theogonia de duobus Parcarum generibus legimus. Nam versibus 217—219 tres Parcae, Clotho Lachesis et Atropos e Nocte sine marito natae, versibus autem 904—906 Iovis et Themidis filiae dicuntur.

E testimoniis veterum, utra fabula Hesiodo propria sit, nemo colligat. Parcas enim e Nocte natas fingit incertus poëta lyricus apud Stobaeum Ecl. I. 5. 12:

Κλωθῶ Λάχεσις τ' ἐδώλενοι

κοῦραι Νοκτός (Bergk: P. L. Gr. Melici: Frag. Adesp. 140);

idem dicit Cicero *De Nat. Deor.* III. 17; ipsum Hesiodum commemorat Tzetzes ad Lycophr. v. 144: Νοκτός δὲ παῖδες (αἱ Μοῖραι) αὐταὶ καθ' Ἡσίοδον.

Longe aliter Apollodorus I. 3: Ἐκ μὲν Θέμιδος τῆς Οὐρανοῦ Ζεὺς γεννᾷ Μοῖρας, Κλωθῶ Λάχεσιν Ἄτροπον.

Nomina Parcarum iam a veteribus in Theogonia lecta esse testatur scholiasta Pindari ad Olymp. VII. 118: Λάχεσις δὲ μία τῶν Μοιρῶν καλεῖται · τριῶν δὲ οὐσῶν τῶν πασῶν Ἡσίοδος μνημονεύει

Κλωθὴ τε Λάχεσις τε καὶ Ἄτροπος.

Quod autem Lucianus dicit *Iupit. confut.* c. 1: ἀνέγνως γὰρ δηλονότι καὶ σύ, ὦ Ζεῦ, τὰ Ἑσίοδοιο ποιήματα. εἰπέ οὖν μοι, εἰ ἀληθῆ ἐστίν, ἀ περὶ τῆς εἰμαρμένης καὶ τῶν Μοιρῶν ἐκεῖνοι ἐβράβη-
δῆκασιν, ἄφροντα εἶναι ὅποσα ἂν αὐταὶ ἐπινήσωσι γεινομένῳ ἑκάστῳ, ad utrumque Theogoniae locum accommodatum est.

Scholastae demum mira cum stupiditate significationem Parcarum utroque loco sine ulla suspitione explicant, quamquam vix dubium esse potest, quin grammaticos Alexandrinos talis fabularum discrepantia offenderit.

Wolf, ut iam de recentiorum conatibus loquar, eiecit versus 904—906, nullo usus argumento; contra *Goettling*, quem *Koehly* et *Weise* secuti sunt, propter nomen κῆρ inepte repetitum versus 217—222 eliminavit.

Sed κῆρ versu 211 et κῆρες vs. 217 non idem significant. Nam κῆρ μέλαινα, si valet apud nos Homeri auctoritas, mortis dea est, κῆρες autem νηλεόποινοι, de quibus Hesiodus dicit:

αἴτ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε παραίθασίας ἐφέπουσαι
οὐδέποτε λήγουσι θεαὶ δεινοῖο χόλοιο,
πρὶν γ' ἀπὸ τῶ δῶσι κακὴν ὄπιν, ὅστις ἀμάρτη (vs. 220—222)

sunt Furiae (Ἐρινύες) teste Aeschylō Sept. v. 1046:

ὦ μεγάλαυχοι καὶ φθερσιγενεῖς Κῆρες Ἐρινύες.

Cf. Euripidis *Electram* v. 1252:

δεῖναι δὲ Κῆρες σ' αἰ κονωπίδες θεαὶ
τροχληλατήσουσ' ἔμμανῆ πλανώμενον.

Praeterea Aeschylus Hesiodo assentiens Furias e Nocte natas fingit (*Eum.* v. 394), cui non repugnat *Serv.* ad *Aen.* VII. 327, qui etiam patrem dearum Acherontem commemorat. Quae cum ita sint, nullam video subesse causam, cur vs. 217—222 eiciamus.

Quoniam de aliorum sententiis satis multa iam verba fecimus, restat, ut de opinione nostra dicendum esse videatur. Omnes autem scimus *Fatum*, cuius etiam in deos potestatem esse antiqui crediderunt, Hesiodi sententia iam ante *Iovem natum* exstitisse, quod manifestum fit e versu 464, ubi de *Saturno ante Iovem natum* leguntur haec:

οὐνεκά οἱ πῆρωτο ἔφ' ὑπὸ παιδί δαμῆναι

Deinde constabat inter omnes mythologos, Iovem mundi imperio potitum quasi societatem cum Fato inisse, ut ipse mundum, praecipue autem hominum vitam regeret nulla iam lite inter ipsum et Fatum intercedente. Quo factum est ut Parcae, quae vitam humanam praecipue regerent, Iovis filiae nominatae sint.¹⁾

Si quis haec recto iudicio perpenderit, non admirabitur duo Parcarum genera ab Hesiodo commemorari. Parcae enim, quae primo loco commemorantur, significant fatum, quod mundum a principio regit cuiusque in deos potestas est; Parcae autem, quae Iovis filiae dicuntur, sunt reginae vitae humanae. Simile quoddam videmus in carminibus Homericis, in quibus *Μοῖρα* et *Αἴσα* significant Fatum, *Κατακλώθεξ* autem sortem humanam.

Neque tamen versus 218—219 retinendi sunt. Nam post versum 217:

καὶ Μοίρας καὶ Κήρας ἐγείνατο νηλεοπίουνας

nomina Parcarum ad *Κήρας* pertinere videntur, quod absurdum est; deinde, cum post versum 219 versus 220—222 statim de munere *Κηρῶν* mentionem faciant, propter αἴτε munus puniendi Parcis tribui videtur, quod nihilo minus absurdum est. Contextus igitur perturbatus vs. 218—219 spurios esse indicat.

De hymno in Hecaten.²⁾

Vs. 411—452.

Locum eiiciunt: Goettling, Paley (416—452), Flach, Rzach — defendunt: Welcker, Schoemann.

Hanc Theogoniae partem primum a Goettlingio in suspicionem vocatam non esse recentioris originis interpolationem grammatici veteres testantur, e quibus Servius ad Verg. Aen. IV. 511:

¹⁾ Hoc est, cur Juppiter saepissime *Μοιραγέτης* appelletur.

²⁾ De hymno in Hecaten scripserunt: *Mützell*: De emendatione Theogoniae p. 475. — *Lehrs*: De Aristarchi studiis Homericis ed. II. p. 441. — *Gerhard*: Zeitsch. f. Alterth. 1852 n. 13. 14. — *Gerhard*: Über die hes. Theogonie p. 134. — *Petersen*: Ursprung und Alter der hes. Theog. Hamburg, 1862. p. 41. — *Preller*: Griech. Myth. I. p. 246. — *Welcker*: Griech. Götterlehre I. p. 565. — *Schoemann* in editione p. 127. — *Welcker*: in editione p. 127. — *Flach*: System der hes. Kosmogonie p. 29. — *Schoemann*: De Hecate Hesiodica Op. acad. tom. II. — *Klauser*: Rhein. Museum III. p. 453.

secundum Hesiodum, ait, Hecate et Titanis et Asteris filia est; Tzetzes autem ad Lycophr. v. 1175: Ἡσίδοσ τὴν Ἐκάτην Πέρσου καὶ Ἀστέρησ φησὶ θυγατέρα καὶ οὐ Περσέωσ· οὐδὲ μὴν Πέρσου τινὸσ νεωτέρου, ἀλλὰ Πέρσου τοῦ παλαιοῦ, ὃσ ἦν παῖσ Εὐροβίασ καὶ Κρίου τῶν Οὐρανοῦ παίδων, tum Eustathius ad Odys. p. 1651: τὴν Ἐκάτην Ἡσίδοσ Περσηίδα καλεῖ.

Singulus versus proferunt: scholiasta Euripidis ad Hipp. v. 146: τῆ Ἐκάτη, περὶ ἧσ φησιν Ἡσίδοσ

μοῖραν ἔχειν γαίησ τε καὶ ἀτρογέτοιο θαλάσσησ,

et scholiasta Apollonii Rhodii, qui verbis poëtae: μουνογενῆ δ' Ἐκάτην Περσηίδα adiecit versum 426:

οὐδ' ὅτι μουνογενῆσ, ἧσσην θεὰ ἔμμορε τιμῆσ.

Versum 440 respiciunt: Schol. B. L. V. ad Il. π 34: γλαυκὴν δὲ ἅπασ εἰκόνησ (scilicet τὴν θάλασσην) Ὀμήρου, Ἡσίδοσ ἀντὶ κυρίου αὐτοῦ ἐξέλαβεν; et Schol. A. V. ad Il. π 748: καὶ Ἡσίδοσ δὲ ἐπὶ τῆσ θαλάσσησ τέταχε·

καὶ τοῖσ σὶ γλαυκὴν δυσπέμφελον ἐργάζοντο.

Neque tamen hunc hymnum genuinum esse facile quisquam credat, qui totius Theogoniae formam atque argumentum recto iudicio perpenderit. Cum enim Theogonia nil aliud sit, nisi nomenclatura deorum interdum episodiis epicis ornata neque poëta in rebus mythologicis enarrandis occupatus religionem, coniunctionem deorum et hominum, usquam attingat: cur hoc loco de cultu Hecates tam multa memoraverit, probabilem rationem reddere nemo potest. Hecate enim praedicatur vitae humanae custos, quippe quae gloriam det viro rem publicam administranti (vs. 430), in proelio victoria ornet exercitum (vs. 431—433), reges adiuvet in iure dicundo (v. 434), in ludis publicis palmam atque laudem impartiat illi, cui faveat (v. 435—438), una cum Neptuno tutetur nautas (vs. 440—443), una cum Mercurio greges (444—447), consulat denique etiam pueris educandis (vs. 450—451). Quae cum reliqui interpretes eliminanda esse arbitrarentur, Welcker suscepit hymni patrocinium, Hecaten in Boeotia praecipue cultam ideoque a poëta Boeoto copiose laudatam esse affirmans. Cuius opinio parum confirmatur scholiastae verbis: ἐπαινεῖ τὴν Ἐκάτην Ἡσίδοσ, ὡσ Βοιωτὸσ· ἐκεῖ γὰρ τιμᾶται ἡ Ἐκάτη. Cum enim de cultu Hecates

in Boeotia nihil apud alios scriptores legamus neque scholiasta argumentis confirmet sententiam, non multum fallimur, si ea, quae dicit, suspicionem putamus ex eo exortam, quod rationem reddere conatus sit, cur Hesiodus tam multa de Hecate praedicaret, id quod ipse Welcker confitetur.*) Provocat tamen ad Plutarchum, qui in *Quaestionibus Romanis* (c. 111) describit quoddam genus sacrificii in Boeotia usitatum, in quo praecipue commemorat, homines sacris perfectis inter disiecta membra canis abire solitos. Ex quo Plutarchi loco elucet, sacrificium descriptum ad Ἐκάτην Ἐνοδίαν pertinuisse, quam Proserpinae ancillam veteres finxerunt et saepe cum ipsa Proserpina confuderunt. Sed Ἐκάτη Ἐνοδία apud Boeotos celebrata, cui canis sacer erat, non est eadem ac Hecate Hesioidea, Asteries filia, quam in coelo, terra marique pariter regnare poëta praedicat. Quae cum ita sint, e Plutarcho ad hunc locum interpretandum nil adferri posse facile apparet.

Iam fragmenta Hesiodi, quae de Hecate mentionem faciunt, nullo argumento confirmant Welckeri sententiam. Alterum enim Hecaten Scyllae filiam dicit (fr. XCII. Schol. Apoll. IV. 828: ἐν δὲ ταῖς μεγάλαις Ἡοίαις Φόρβαντος καὶ Ἐκάτης ἢ Σκύλλα), alterum autem nomen deae ita commemorat, ut Dianae cognomen fuisse videatur (fr. XXXIX. Pausanias I. 43. 1: ἐγὼ δ' ἤκουσα μὲν καὶ ἄλλον ἐς Ἰφιγένειαν λόγον ὑπὸ Ἀρκάδων λεγόμενον, οἶδα δὲ Ἡσίοδον ποιήσαντα ἐν καταλόγῳ γυναικῶν οὐκ ἀποθανεῖν, γνώμη δὲ Ἀρτέμιδος Ἐκάτην εἶναι).

Denique, si Hecate dea imprimis Boeotica fuisset, potuissetne fieri, ut eam, vitae humanae custodem, auctor *Operum et Dierum*, carminis Boeotici, de vita humana deorum metu regenda disputans nusquam commemorarit? At in *Operibus* de Hecate nulla exstat mentio. Quare nullam video subesse causam, cur verbis scholiastae nullo argumento confirmatis fidem habeamus.

Praeter Theogoniam carmen antiquissimum est, in quo de Hecate legimus, hymnus Homericus in Cererem. Poëta autem huius hymni Hecaten filiam Ἡερσαίου, eiusdem, quem Theogonia Πέρσην appellat, dicit (εἰ μὴ Περσαίου θυγάτηρ ἀταλά φρονέουσα ἄτην ἐξ ἄντρου, Ἐκάτη λιπαροκρήδεμος vs. 24—25) atque lucis (fortasse

*) Was der Scholiast angibt, Hesiodos preise als Böoter die Hecate so sehr, denn dort werde sie geehrt, mag Vermuthung sein. (Götterlehre p. 565.)

lunae) deam fingit (vs. 53: σέλας ἐν χεῖρεσσιν ἔχουσα). Iam hymnum in Cererem paulo ante aetatem Solonis ab Attico poëta compositum esse satis constat, quod ad hanc quaestionem solvendam magni est momenti.

In Attica enim temporibus nobis magis cognitis Hecate praecipue colebatur. Imagines eius tempore nascentis lunae sertis ornabantur (Porphyr. de abst. II. 16.), in triviis hostiae ei immolabantur (Becker, Charikles II. p. 96. Schoemann, Griech. Alterthümer II. p. 421), in vestibulis autem domorum sacellum erat, Ἐκατεῖον appellatum, ubi pater familias domo egressurus constare solebat, et, quidquid agere parabat, a dea expectabat auxilium (vide schol. Arist. Lysistrate v. 64 et Suidas s. v. Ἐκατεῖον). Quae satis demonstrant Hecaten in Attica ut rerum humanarum custodem esse honoratam, id quod adiuvit Orphicos Atticos in cultu deae propagando. Quibus rebus adductus Goettling Orphicis, Onomacrito vel Cercopi tribuit hymnum, Hecaten, ut deam potentissimam celebrantem. Praeterea in hac Theogoniae parte invenit vocabulum, quod e lingua mystica Orphicorum depromptum esse videretur. Versu enim 426 legimus haec:

οὐδ' ὅτι μουνογενῆς, ἦσσαν θεᾶ ἔμμορε τιμῆς

et vs. 448:

οὕτω τοι καὶ μουνογενῆς ἐκ μητρὸς ἐοῦσα
πᾶσι μετ' ἀθανάτοισι τετίμηται γεράεσσιν.

Μουνογενῆς autem proprium vocabulum est Orphicorum, quod de Cora cum Cerere confusa usurpatur in Hymn. Orph. 40. vs. 16:

Μουνογενῆς πολύτεκνε θεᾶ, πολυπότνια θνητοῖς

de Pallade in hymn. 31. vs. 1:

Παλλὰς μουνογενῆς μεγάλου Διὸς ἔγγονε σεμνή

de Proserpina in hymn. 28. vs. 2:

Περσεφόνη, θύγατερ μεγάλου Διός, ἐλθὲ μάκαιρα
Μουνογένεια θεᾶ, κεχαρισμένα δ' ἱερά δέξαι.

Eo pertinet, quod Proclus dicit (in Tim. 2.): καὶ γὰρ ὁ Θεολόγος τὴν Κόρην Μουνογένειαν εἴθε προσαγορεύειν. Proserpinam vero Orphici saepissime cum Hecate confundunt. (Vide Proclum in Tim. 1: καὶ τότε δὴ Ἐκάτην Δὴ ὡ τέκνεν εὐπατέρειαν).

Ne similitudo quidem negligenda est, quae intercedit inter versum 427 :

καὶ γέρας ἐν γαίῃ τε καὶ οὐρανῷ ἡδὲ θαλάσσῃ

et hymnum Orphicum in Hecaten (Hym. II. vs. 1—2) :

Εἰνοδίην Ἐκάτην κλήζω τριοδίτην, ἔρανήν,
Οὐρανίην χθονίην τε καὶ εἰναλίην κροκόπεπλον.

Goettling versum 440, ut opinionem suam argumentis quam plurimis confirmaret :

καὶ τοῖς οἷ γ λ α υ κ ἦ ν δυσπέμφελον ἐργάζοντο

propter adiectivum pro substantivo *θάλασσα* usurpatum ab elocutione epica abhorreere contendit. Sed hoc proprium fuisse poëtae Boeoti apparet ex iis, quae in *Operibus* legimus : *φερέοικος* (vs. 570) pro *θήρ φερέοικος* seu *κοιλίας* ; *άνόστεος* (vs. 524) pro *άνόστεος πολύπους* ; *πέντοζος* (vs. 844) pro *manu*, *ἔδρις* (vs. 756) pro *formica*, *ἡμερόκοιτις* (vs. 605) pro *fure*, et :

καὶ τότε δῆ κ ε ρ α οἶ καὶ ν ἦ κ ε ρ οἶ ὀληκοῖται
λυγρὸν μυλιῶντες ἀνά θρία βησσήντα
φεύγουσιν (vs. 529—531).

Inveniuntur tamen in hac Theogoniae parte multa, quae recentiorem hymni originem statim produunt. Nam prorsus abhorret a dicendi genere epicorum vs. 429. 432. et 436 : *παραγίγνεται ἡδ' ὀνίνησιν*, quod Klausen (Rhein. Mus. III. p. 453) perperam comparat cum versu Homerico : *καὶ σφιν παραγίγνετο δαιτί* (Od. XVII. 173); verbum enim *παραγίγνεσθαι* apud Homerum «adesse», hoc loco «auxilium ferre» significat.

Suspicionem movet verbum *μετάπρεπε* sensu transitivo. (Vs. 430 : *ἐν τ' ἀγορῇ λαοῖσι μεταπρέπει, ὅν κ' ἐθέλησιν*.)

Non est epicus usus adiectivi *ἐσθλός* vs. 435. 439. et 444.

Certissimum tamen interpolationis indicium est vs. 447 *crasis* (*e καὶ ἐκ κᾶκ*), cuius apud epicos veteres nullum exstat exemplum.

Ultimo loco, ne quid omittamus, alienum non videtur commemorare sententias eorum, qui in hymno contemplationem theologicam agnoscunt. De qua re doctissime disputavit Petersen in dissertatione «*Ursprung und Alter der hes. Theogonie*» p. 42 : «Auch kann der Begriff der Göttin erst einer Zeit der überwiegenden

Reflexion angehören, er ist die, vom Licht entnommene, fast zum Begriff der Allmacht erhobene Fernwirkung.*) Schoemann vero per Hecaten Iovis erga homines benevolentiam significatam putat: «Macht und Gewalt sind nicht die einzigen Attribute der göttlichen Weltherrschaft: die andern sind Wohlwollen gegen die Menschheit und Gewährung guter Gaben, Erbörung der Gebete, Beistand in ihren Mühen und Arbeiten: und diese andere der Menschheit zugewandte Seite des göttlichen Wesens wird nun durch Hekate angedeutet.» Neque tamen Schoemann hymnum spurium iudicat, quippe qui totam Theogoniam aetate Pisistrati, ut proemii instar esset ad carmina Hesiodica, conflata putat. Contra nos, qui Schoemanni sententiam nullo probabili argumento confirmatam reiicimus atque post egregia Paleyi, Flachii et Rzachii de dialecto Hesiodica opera antiquitatem Theogoniae procul dubio esse arbitramur, in iis, quae Schoemann et Petersen de hoc loco disputarunt, clarissimum videmus indicium, cur hymnus pro spurio habendus sit. Nam contemplatio theologica ab antiqua illa aetate, qua Homerus et Hesiodus vixerunt, prorsus aliena est.

Nobis igitur *verisimile* videtur hymnum in Hecaten post hymnum Homericum in Cererem ab Orphicis esse scriptum; iam id *certum* est, versus 411—452 non pertinere ad genuinam Theogoniae formam.

Vs. 828.

πασών δ' ἐκ κεφαλῶν πῶρ καίστε θερμομένοιο.

Versus eiiciunt: Goettling, Flach, Rzach — defendunt: Welcker, Schoemann, Lennep.

Editores, qui versum 828 compararunt cum praecedentibus:

ἦν ἑκατὸν κεφαλαὶ ὄψιος δεινοῖο δράκοντος
 826 γλώσσησι θνοφερῆσι λελεγχμότες · ἐκ δέ οἱ ὕσσω
 827 θεσπεσίης κεφαλῆσιν ὑπ' ὀφρύσι πῶρ ἀμάρυσσε

*) Nomen deae a vocabulis ἕκα, ἕκας ductum deorum potestatem, qua absentes etiam, quidquid volunt, efficere possunt, significare videtur. Hic est sensus, qui inest in cognominibus Apollinis, Ἐκατος et Ἐκάεργος et in cognomine Dianae: Ἐκάτη. Ex quo cognomine novum numen (Ἐκάτην) exortum esse verisimile est. Qui autem nomen, de quo quaesivimus, a ἕκων et ἕκῃ ductum putant, neglectis etymologiae Graecae praecipis vehementer errant.

versu 828 iisdem fere verbis idem dici, quod 827, omnes animadverterunt. Ruhnken, ut textum emendaret, versum 828 eiecit, quem secutus est Wolf et pars editorum.

Sed habet versus defensorem suum in Lennepio, qui hoc loco satis mire emphasisin videt: poëta, ait, praecipue commemorare voluit ignem ex omnibus capitibus pariter erumpentem. Schoemann, quem offendit tale emphaseos genus, versum 827 maluit sic scribere: θεσπέσιον βλοσυρήσιν ὑπ' ὀφρύσι πῦρ ἀμάρυσσε, ut versum 828 servaret; postea tamen talem in coniciendo audaciam probari non posse ipse confessus est tautologiamque molestam, memoria codicum retenta, ipsi Theogoniae auctori vitio vertit. *)

Iam quod Hermann et Gerhard contenderunt, versus 826—827 et 828 duobus diversis recensioibus esse tribuendos, verisimile mihi quidem videtur, neque tamen facile est diiudicare, utra sit antiquior, cum utraque recensio ad versum 825 pariter accommodata sit. Nam, qui versum 827 eiicere volunt, dativum θεσπεσίης κεφαλῆσιν inusitatum esse frustra contendunt, cum praesertim in oratione poëtica, imprimis apud Homerum dativus loci saepe occurrat (vide 'Ελλάδι οἰκία ναίων vel τῶς' ὤμοισιν ἔχων vel ὁδοῖς ceteraque huiusmodi). Attamen, si consideramus, versus 826—827 ab antiquo teste, Aristophane defendi, qui aperte hunc locum ludibrio habet in Vespis (vs. 1032—1034) et in Pace (vs. 755—757 ed. Berk):

οὐ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτίνες ἔλαμπον,
ἐκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωζομένων ἐλιχμῶντο
περὶ τὴν κεφαλὴν

neque descriptionem perfectam esse posse, cum poëta versu 825 de capitibus draconis loquatur, nisi et linguae vibrantes draconis propriae describantur, satius ducimus versum 828, quam duos praecedentes eliminare.

(Continuabitur.)

GEYZA NÉMETHY.

*) Bei einem solchen Dichter, wie wir ihn hier vor uns haben, ist freilich vieles möglich (p. 73 ed.). Scilicet Schemann Theogoniam ætate Pisistrati a poeta quodam ignobili consutam esse putat.